

BOTANISCHES INSTITUT

der Universität Wien


Bibliothek

J.-Nr.

4099

Sign.

57/27



FABII COLVMNAE LYNCEI PURPVRA

Hoc est de Purpura ab Animali testaceo fusa,
de hoc ipso Animali alijsq; rarioribus
testaceis, quibusdam

Ad Ill^{mum} et Reuer^{mam} Principem ac Dominum
IACOBVM SANNESTVM. S.R.E.
CARDINALEM AMPLISSIMVM

Cum Iconibus ex aere ad viuum representatis,
Elencho rerum, et Indice


SUPERIORVM PERMISSV.

ROMÆ M.DC.XVI

Apud Jacobum Mascardum.

*Imprimatur, si videbitur Reuerendiss. P. Magistro Sacri
Palatij Apostolici.*

Cæsar Fidelis Vicesgerens.



*Minus Cognitarum stirpium partem alteram unam cum Purpura
excellentiissime, ac diligentissime à D. Fabio Columna conscri-
ptam, iussu Reuerendiss. P. F. Hyacinti Petronij Mag. Sacri
Pal. Apost. vidi, cumq; in ea nihil compererim, quod pietatem,
vel mores offendat: immo cunctis Medicinæ, ac rei herbariæ
Studioſis utilem, ac iucundam fore cognouerim, eamdem typis
dignissimam iudicauī. Romæ die 20. Octobris 1615.*

Antonius Butius Fauentinus Ciuis Romanus,
Philosophiæ, ac Medicinæ Doctor.



Imprimatur.

Fr. Gregorius Donatus Romanus, Mag. & Reuerendiss.
P. F. Hyacinthi Petronij Romani Sacri Palatij Apost.
Magistri Socius, Ord. Præd.

SACRA ROMANA IMPERIA

ROMA MDXXXI

ANNO DMI MDCXXI

ILL.^{MO} ET REV.^{MO} D.
IACOBO SANNESIO
S. R. E. CARDINALI

SVA OMNIVMQ; OBSERVATIONE
DIGNISSIMO.

Fabius Columna Lynceus Perpetuam Fælicitatem precatur.



V ANTI olim & usus & præcij Purpura fuerit, Ampliss. Cardinalis, vel solus Plinius Historiæ suæ naturalis libro non nos docere poterit, cuius hæc concepta sunt verba: *Nepos Cornelius, qui diu Augusti principatu obiit, Me, inquit, inuenie violacea Purpura vigebat, cuius libra denariis centum vñebat, nec multo post rubra Tarentina.* Rectè sanè, Nam & hodiè non solum magni Romæ æstimator, sed & in vestro amplissimo Senatu Purpuratorum, utraque Purpura tam violacea, quam rubra sibi locum inuenit indumentis vestris serbiens. Et rubra quidem quam Tyrium olim Tarentinamq; appellabant in quotidiano amictu iucunditatis *vii, sic maiestatis profecto plurimum præfert.* In violacea vero quam Conchylium veteres dicebant, mœroris & grauitatis itidem signa eluescunt. Et quid mirum, cum antiquitus Romanorum quoque Procerum, Imperatorumq; vestes purpureus color decoraret, vnde & leges extant ne Muri-leguli, sic Infectores illi denominabantur, purpureo illo colore, sacri muricis nomine indigitato, alias vestes aut tingerent, aut Imperiales adulterarent.

Atque sic quidem antiqui Conchylijs Purpuris, siue Buccinis

colorem hunc præstantissimum effungebant, quibus postera ætas
relictis, vel propter inscitiam, vel maiorem impensam, ignoro
equidem, Cocco, & marino Bryo vestes tingit purpureas, sicut
Transalpinam Galliam fecisse Plinius refert: *Herbis, inquit, Ty-
rium, atque Conchylium tingit, omnesq. alias colores, nec querit in
profundo Murices.*

Vetum cum ego studiosè admodum timarer quodnam esset
Conchylium hocce ad Purpuræ tinteturam aptum, illud tandem
perquirendo inueni, innentum autem vt lucem aspiceret com-
mentariolo quodam meo enixè elaboram. Est autem hoc Con-
chylium duorum planè generum ad Purpuram violaceam ex-
primendam aptissimum, quod sub cuius nomine prodiret non
diu hæsitaui; Tu enim, Cardinalis Amplissime, vnicus occurri-
sti, tum quia sacra purpura vestiris, tum quia in fulgentissi-
mo illo Purpuratorum consessu magni momenti negotia sum-
ma cum laude, omniumq. admiratione sæpen numero tractas,
tum etiam quando à grauioribus semotus aliquantulum curis
animum refocillare intendis, naturalibus studijs adeò delecta-
ris, vt instructissimum nunc hortum tam exoticis, quam nostra-
tibus plantis habeas, ex quo cum purpureum illum elegantissi-
mum, atque rarissimum Hyacinthum nactus fuerim, quem tua
humanitate fretus, quod tu solus illo Romæ potireris SANNE-
SIVM nuncupaui, non abs re erit, si & hic cum Cochlea mea
purpurea ad te configiat, quam vel sola umbra purpùræ tux-
Cardinalitiae souere, & illustrare poteris. Quod vbi à tua beni-
ginitate impetrauero, neque Zoilorum mordacem dentem, neque
inuidorum sinistram mentem pertimescam; Quod si vero etiam
gratum hoc meum studium intellexero, gratiorem, ac festiuorem
alteram, ac rubram illam purpuram, quam indagare non desi-
no quamprimum sub eodem tuo amplissimo nomine in studio-
rum gratiam proferre elaborabo. Interim te Deus Opt. Max.
diutissimè in columem præster, altioribus tē honoribus reser-
vans. Vale.

AVCTOR AD LECTOREM OSTRACOPTAM.

ESTACE ORVM tractatio multiplici varietate periucunda, & vel sola ipsa Purpura nobilis paucos quidem cum ex antiquioribus, tum ex recentioribus physicos detinuit, ex omnibus tamen qui de illis verba fecerint, neminem ipsa testis inhabitanitia animalia considerasse, variasq; eorum effigies tradidisse mirum sane videri potest; ut enim animaduertere incipimus, minimè paruifacienda est animalis ipsius imago & natura, ex cuius differentia etiam testa differentiam prouenire est necesse. Observauimus diuersum in Cochlea, ac in Purpura animal variaq; varijs in testis, nec etiam similia esse qua in Cochlea modo formatis testis, licet sola magnitudine, vel colore tantum inter se eadem testa differant, ut in Iantbina Cochlea, & alijs. Commune quidem habent turbinata omnia, quod limbo sint praedita quodammodo simili quo gradiuntur, siue repunt, ceruice vero & alijs non solum à terrestribus Cochleis differunt, sed inter se etiam colore variare, manifesum est. Exponere igitur hic voluimus Purpuram rarioribus nonnullis testaceis adiunctis, testas simul, ipsaq; animalia in Physicam contemplationem adducentes, unde illorum differentia innotescere possit. In his interim eam inspicere, & per pulchra fruere varietate, postmodum enim Deo dante in aliorum testaceorum obseruationibus, quæ exhibituri sumus, plenius quid videre licet. Vale.

MELENCHVS DVA




E Purpurate staceo purpuram fundente. Cap. I.	pag. 1
Cochlea Lanthina cum Animali exactior icon, & hi- storia. Cap. II.	12
Turbo exoticus umbilicatus. Cap. III.	14
Buccinum paruum nostras cum animali. Cap. IV.	14
Buccinum exoticum paruum. Cap. V.	15
Lepas exotica variegata, & Lepas noua Myrii morbus. Cap. VI.	15
pag.	17
Turbo terrestris non descriptus. Cap. VII.	17
Turbo alteri minor. Cap. VIII.	18
Cochlea terrestris turbinata. & striata. Cap. IX.	18
Cochlea marina exotica marmorea. Cap. X.	18
Concha πελεπτούγγλυμος. Cap. XI.	21
Concha rarer Anomia vertice rostrato. Cap. XII.	23
Altera Neptunia maior II. imbricata. Cap. XIII.	24
Concha Anomia IV. margine undosa. Cap. XIV.	24
Concha altera Anomia striata τρίλοβος rarer. I. Cap. XV.	24
Concha fasciata gemmea concretione repleta. Cap. XVI.	25
Concha exotica margine in mucronem emissâ. Cap. XVII,	26
Concha natatilis ινετώδης minima. Cap. XVIII.	28
Concha exotica vertice muricatum intorto. Cap. XIX.	29
Concha utroque latere se colligens exotica. Cap. XX.	29
De Glossopetris Dissertatio.	31



FA-



Purpura nostras violacea



Cochlea Ianthina





FABII COLVMNAE LYNCEI DE PVRPVRA, ALIISQ; TESTACEIS RARIORIBVS.



*De Purpura testaceo, purpuram fundente, & eius
animali. Cap. I.*

PVRPVRAE vox, siue nomen, ab Antiquioribus, non tam generis loco prolata, quam speciei, quin animal etiam testaceum genere distinctum, ex quo purpureus ille color eximebatur, eundemq; colorem extratum pallore variantem complectens; Muricis etiam Conchylijsq; denominatio, rerum atque vocum confusionem apud recentiores peperisse videtur. Verum id Latinorum causa potius, quam Græcorum lectio[n]e contigisse patebit. Ut autem differentia vocum atque rerum innotescat, confusio etiam distinguatur, Veterum Auctorum aliquot loca prius examinanda, & præponenda esse operæ prætium visum fuit. Purpura igitur color, & Purpura testaceum animal, quod sub nomine Conchylj, & Muricis ab antiquis acceptæ sint apparebit: eaq; nomina quando propriè, vel impropriè, aut in genere, vel specie illi comprehendenter prius distinguere conabimur.

Conchylum tanquam summum genus Concharum, & Testaceo-

Fabij Columnæ

rum à Plinio usurpatum, censemus, de Purpura loquente, cum ait :

Lib. 9. c. 36 Lingua Purpurea digitali longitudine, qua pascitur perforando reliqua Conchylia. Et de lune potestate verba faciens, ait, ideo cum incremento eius augeri Conchylia. Quod Horatius metro expressit, cù ait.

Lubrica nascentes implent Conchylia luna.

Et alibi,

Simul assis

Miscueris elicea simul Conchylia Turdis.

Lib. 9. c. 29 Plinius de Polypi natura, Vescentur Conchyliorum carnes, quo-

*rum conchas complexu erinium frangunt. Idem de Testudinibus lo-
quens, In mari Conchylis vivunt, tanta oris duritie, ut lapides com-*

Lib. 9. c. 17 minuant. Et alibi, de Mullis inquit : Laudatissimi Conchylium sa-

Lib. 6. c. 21 piunt. Et alibi, de India Insulis : Bibaga ostreis & Conchylis referta.

Quamquam & hæc inferiora loca pro turbinatis tantum accipien-
da si quis esse dixerit, medium genus constituere viderentur. Nos
verò pro inferiori genere Turbinatorum, sive Concharum purpu-

Lib. 8. c. 48 ram fundentium, ab eodem Plinio Conchylium acceptum puta-

mus, cum inquit, de lanarum generibus, & tinctura differens. De

*Lib. 6. reliquarum infectu suis locis dicemus, in Conchylis marinis, &
herbarum natura. Apud Lucretium de rerum natura :*

Purpureusque color Conchylia iungitur una,

Corpore cum lana.

Et Catullus de nuptijs Pelei, & Tetidos :

Tincta tegit roseo Conchylis purpura fuso.

*Lib. 7. c. 13 Sic etiam Vitruvius antiquior Plinio, Conchas, ex quibus ostrum
præstantissimum omnium purpureorum colorum arte conficieba-
tur appellavit ; cum inquit : Id autem excipitur ex Conchylia ma-
rino, quo purpura inficitur &c. additque modum præparationis, &
in fine nominis rationem afferens, inquit : Et quod ex Concharum
marinarum testis excimitur, ideo ostrum est vocatum. Apud Poe-
tas etiam Ostrum color est purpureus, vt apud Iuuenalem :*

Et Princeps Tyrio vestem prætexuit ostro.

Eundem colorem Virgilius ferranum dixit ;

Et gemma bibat, & serrano dormiat ostro.

Sed Vitruvius tamquam Latinus omisit verum Ostri etymon, quod non est latina deriuatione factum, sed græca : testas quidem sive Cōchas marinas generis appellatione Græci dicunt, ὄστρα, & ὄστρα, ex quibus Ostrum latini purpureum colorem, & ostracum ex Ostrea dicunt. Græcos verò, ex ὄστρα, quod est, os, quia ossium sit duri-
tie marina Concha etymon sumptissime putat Eustathius, sicuti Latini-

Purpura.

3

nos à testarum duricie, testas. Athæneus lib. 3. cap. 12. tanquam generalissimum acceptum refert, cum ait, Solenistræ dicebantur, qui huiusmodi ostrea colligebant, ut inferius narrat scilicet Solenistrum captura. Conchylium præterea infecturæ genus propriæ dici, & à Plinio sic etiam usurpatum satis est manifestum, ut nos existimamus; de infectura quidem coloris Amethystini, & Coccilolum quens ait: *Et cum confecere Conchylia transire melius in Tyrium* Lib. 9. c. 41 *tant. Amethystinus quidem color siebat eodem auctore, permixtis Pelagio, & Buccino simul, atq; summa medicaminum in libras Vell. Lib. 9. c. 38* *lerum Buccini. cc. Pelagi oxi. ita sit Amethystinus color eximius ille,* & alibi ait: *Concharum ad Purpuras, & Conchylia eadem quidem Lib. 9. c. 36* *est materia, sed distat temperamento, Duo sunt genera &c. Tempera-* *menti differentiam idem docuisse videtur inferius, cum ait: In Conchylia veste cetera eadem sine Buccino, praterq; ius temperatur aqua pro induiso humani potus excremento, dimidia & medicamina addūtur sic gignitur laudatus ille pallor, saturitate fraudata, tan-* *toq; dilucidior, quanto magis vellera esuriunt. Conchylium etiam pro colore intellexisse putamus supra de purpuræ differentia, testaceo scilicet animali ad tincturam apto, ibi: Calculosa appellantur & Lib. 9. c. 36* *Calculo maris, mire apto Conchylis. Et superius: sed unde Conchylis pretia, quis virus graue in fuso, color austerus in glauco, & irascienti similis mari? Et antea dixerat: Sed quota est portio hac repu-* *tantibus purpuras, Conchylia, margaritas? parum scilicet fuerat in* *gulas condi maria, nisi manibus, auribus, capite, totoque corpore &* *feminis iuxta viris que gestarentur. Quid mari cum vestibus? Quid* *vndis fluctibusque cum Vellere? &c. Et de Carthagine loquens ali-* *bi: nunc omnis eius nobilitas Conchylia, atq; Purpura constat. Et Lib. 22. c. 2* *alibi, de coloribus ex herbis loquens Transalpina Gallia herbis Ty-* *rium, atq; Conchylium tingit, omnesq; alios colores, nec querit in* *profundo Murices. Quod autem non sit aliqua Conchæ, siue turbinati species ad purpuram inficiendam apta, quæ proprio nomine,* *Conchylium specialiter diuersumq; à Purpura, & Buccino dicatur;* *iam satis ex supra recitatis locis constare censemus: veluti & hoc manifestum est, quod Conchylium nomen sit genericum Testatorum, scilicet Purpurarum, aut proprium coloris illius purpurei dilutioris Conchylium appellati, ut ex capite trigesimo septimo, ac etiam præcedenti patet, in quo Plinius clare docuit duo tantum esse genera, Testaceorum ad purpuras, & Conchylia colores, vtilia, Buccinum scilicet, & Purpuram, illorum notas afferens; atque ean-*

dem esse materiam. At purpureum à Conchylij colore, tempera-³
mento tantum differre: & quod ex Purpura solum, absque Buccino
conficiatur: nec non Pelagiam Purpuram ad hunc colorem opti-
mum conficiendum præferri, quæ calculosa dicebatur; nam tenien-
se leuius, atque dilutius erat nimis. Præterea pro quo quis genere co-
lorum, nulla alia materia recensetur à Plinio, nisi Purpura, & Buc-
cini Concharum ex marinis, nec vñquam Conchylij animalis siue
testacei sua specie distincti notas, vel historiam apud aliquem An-
tiquorū hucusque descriptam reperimus. Conchylij vero proprius-
color, qui cæruleus erat, dilutior, vel plenior ab eodem Plinio de-
scribitur simul cum alijs purpureis colore saturatiore variantibus,

Zib. 21.c.8 cum de vestium æmulatione cum floribus historiam recitat; ibi: In
quibus vnguento viciisse naturam gaudens luxuria, vestibus quo-
que prouocauit, eos flores, qui colore commendantur, bos ani-
maduerto tres esse principales. Vnum in Cocco, qui in Rosis mi-
cat. Gratius nihil traditur aspectu, & in Purpuras Tyrias, diba-
fasque, ac Laconicas. Alium in Amethysto, qui in Viola: & ipse
in Purpureum, quem Ianthynum appellauimus. Generenim tra-
ctamus, in species multas se se spargentia. Tertius est, qui propriè
Conchylij intelligitur multis modis: Vnus in Heliotropio, & in
aliquo ex his plerumq; saturationi, Alius in malua, ad Purpuram
inclinans, Alius in Viola serotina, Conchyliorum vegetissima. Ex
qua descriptione purpureum colore esse dicimus, qui magis
Zib. 9.c.36 ad rubedinem tendit, saturo satis colore, ut Rosæ Purpureæ: quem
alibi nigricantis rosæ colore sublumentem dixit. alium dilutiorem,
ut Violæ marinæ præcocis, quæ l'or dicitur à Græcis. Altera vero
species purpura illa videtur, quæ ex tubro magis ad caruleum ten-
dit dilutum, & dicitur propriè Conchylium, ut Heliotropij color,
vel purpureæ maluæ, aut magis obscurum, ut Violæ serotinæ, quod
Li. 4. Geor. est Violæ purpureæ montanæ, de quo Virgilius:

— *Violæ sublucet purpura nigra.*

Qui alibi à Plinio Austerus color in Glauco, & irasecenti similis ma-
ri dicitur. Colorem hunc Conchylij sine Buccino fieri tradit idem
Plinius, ea ratione, quia Buccinum ad rubedinem Rosæ, aut Cocco
similem ferè tendit: Purpura vero magis Violaceam emitit sa-
niem; ideo leguntur verba illa in Plinio: *rubens color nigricante*,
deterior, deinde Pelagio alligari Buccinus, ut ruborem inducat, ea-
ratione, quia nimis eius nigritia dat austerioram illam, nitoremq;
qui quæritur Coccii, ut sanguinis concreti speciem referat. Color
iste

Purpura

istè Tyrius dicebatur, qui ut melior esset, prius conchylia conficiebantur, Pelagio satiatis velleribus immatura, viridiq; cortina, non satis cocta, ne nimis euaderet nigricans Conchylium, deinde in Buccini cortinam permutabatur, vt ruborem superacciperet, atque ita permixtis viribus utriusque, alter altero excitaret colore, aut adstringeretur, vt idem refert. Conchylium postremò dicum fuisse colorem hunc, ea ratione videri potest, vt sicut ostrum, ab ostraceis deriuatum esse existimatur, sic Conchylium à Conchis, vel Conculis marinis, quod Etymon Isidorus habet. Et apud *Libr. 19.* Græcos κούχυλον etiam pro omni testaceorum genere, maxime *orig. c. 28.* vesco, apud Pallucem dictum inuenitur Sed Clarius apud Athæ-*Lip. 6.c. 15.* num lib. 3. ex Epicharmo, ibi, ἀγε δέ, πάντα δα πα κούχυλα λαπάδης &c. affer omnigena Conchyliia lepades &c. & inferius ex Diocle οφάρισα γρ. είναι τοις κούχυλοις περισταχάρησιν ή σέργουν, μνάς, ὄφρα κτενάς &c. Ex Conchylijs excellere ait alio mouendo, & lotio ciendo, mytulos ostrea, pectines &c. & inferius: Conchyliorum firmissima Conchas purpuratas, & Buccinum. Ex his denique rei scienda est eorum opinio, qui Dioscoridis testimonio uti volunt ex Onychis historia decerpto, vbi, Grematum, inquit, Conchylium idem efficit, quod purpura & Buccinum. Et sic esse ab illis animal siue Testaceum distinctum, sed nos à Purpura & Buccino distinctum Conchylium hoc esse Dioscoridis putamus, non quia specie differat, cum sit genus Concharum, siue Turbinatorum: sed quia sit genus Palustre, non marinum, siue aromaticum, vt idem refert: depascentibus illis Conchylijsnardum berbam: quod Purpuram, & Buccinum haud facere quisquam refert. Nec minus quam alij hoc loco Dioscoridem Conchylium pro genere Concharum, siue Turbanatorum usurpare censemus, vt ex ipsius historia liquet, & alibi etiam, cum inquit, η μύρα τὰ κούχυλα οὐκανήσα εἰδίμετα, οὐ τέρεγχοι. Et omnia Conchylia, cruda, quam tosta comesa &c. Adde, Lacustres Conchas siue Turbines ad tinturam aptas nemo antiquorum pròdedit, quare differre à marinis infectorijs patet, sicut generis esse nomen: non mirum igitur si Onychen eandem à Plinio ostracium dictam inuenimus, græco forsan more, ex verbo, ostracea, quod vniuersa testacea complectitur, & τὰ οὐσεγκοῦ deductum: sicuti ostrum dici purpureum colorem, à Testis marinis latine, ex Vitruvio iam retulimus: easdem vires crematis operulis palustris Conchylij indici Dioscorides reliquis Marinis Purpuris tribuit. sic etiam male intellectus Plinij sensus in textu adducto ab iisdem dici potest, ibi, & perse Conchylio infecta lana

Liber 2. c. 8. *lana magnopere prodest*, aurum scilicet malis, ut etiam apud Galennum κατὰ τοῦτον προκύπτει τὸ πορφύρας, siue κοχχίς & apud Dioscoridem, τὸ δὲ αὐτὸν τρόπον, καὶ προκύπτει καὶ οὐτι τὸν δαλαδίας πορφύρας. *Eodem*, scilicet modo vrumuntur *lana marina Purpura infecta*, siue *lana flacci*. illud προκύπτει, idem cum lana Conchylio infecta Plinius. Nec etiam Conchylium à Plinio Buccini loco acceptum putamus, ut alii: sed potius pro ipsa Purpura, ex qua tingitur, cum purpura siue Buccino non rubescat, & ad Cæruleum tendat, ut supradiximus de Pelagijs.

Liber 9. c. 37. *calculosis dictis ab eodem Plinio*, qui varias Purpurarum species recitat ibi, à loco nomine desumpto. Quare de Conchylio iam sat is dictum censemus. Sed non minor in Muricis nomine obseruatio facienda est, ut quid sit propriè, quomodo sit a Plinio aliisque acceptum, & quid differat à Purpura, vel Buccino innotescat. Murex no-

Liber 9. c. 25. men pro communi genere testatorum omnium à Plinio usurpatum, ex Muriani verbis liquet, de Remora loquens, ibi: *Mutianus Muricem esse latiorem Purpura, neque aspero, neq; rotundo ore, neque in angulos prodeunte rostro, sed simplice concha, utroq; latere se colligente*. Et alibi pro Turbinatorum genere, *Firmiores iam testae murices, & concharum genera*. Et proturbinatis ad infesturam,

Liber 12. c. 1. idoneis, ibi, *nec querit in profundo Murices*. Et alibi, dixit, Muricum, vel Cochylitorum testae cinis, &c. quo loco Murex pro Buccino,

atque Conchylium pro Purpura, vel Murex pro Turbinatis, & Conchylium pro vniuersis Conchis acceptum videri potest. Et paulo inferius, Muricum generis sunt, quæ vocant Græci, Colycia, vel Co-

Liber 9. c. 37. rythya, nos Corycia legeremus à verbo κορύκη. Quod autem Muricem Plinius pro Buccino dixerit, satis manifeste apparet, cum de Purpuris loquutus est, *latent sicut Murices*, qui locus ex Aristote-

Liber 5. c. 5. le transcriptus habet pro verbo; *muricis*; κορύκης, ibi, τὰ μὲν γῆρας denat.

Animal. κορέγη τάντη φελεῖ, ὁρτὰ τέ τοι δεσμή της πορφύρας, καὶ κηρυξ. ut etiam

Liber 9. c. 5. inferius habetur, *mutuoque attritu lentorem cuiusdam Cera saliuat*, simili modo & Murices. Aristoteles habet, κορεγησιον γῆρας καὶ κηρυξ, & idem Plinius de ortu Testaceorum habet: *Quæ durioris testæ sunt, ut Murices, Purpura, saliuarum lentore & inferius Purpura & Murices eiusdemque generis vere pariunt*. Apud Poetas pro qualibet acuminata re acceptum reperimus Muricis nomen. Virgil.

— & acuto in murice remi

Obnixi crepuere

Liber 21. c. 23. Inde muricatum nomen Plinius tribuit Sylvestrium Carduorum cuminumibus, cum dixit, *Vtrique folia pauca sparsa, muricatis casu-*

mini-

Purpura.

7

minibus. Quare impropriè Buccino Muricis nomen impositum videtur, cum propter aculeatos siue muricatos orbes, & extuberantes, quos habet Purpurarum genus, qui non sunt in Buccino, ut idem Plinius ait, potius Purpuræ conuenire sit dicendum, etiamq; Muricis epitheta omnia ab Auctoribus tributa Purpuris conuenire pateat, sicuti Purpura Tyria apud Poetas; vt Ouidium:

Nec qua de Tyrio Murice lana rubet.

Et Horatius.

Muricibus Tyrijs iterate; vellera lanae.

Et alibi.

Te bis Afro Murice tinctæ vestium lanae.

Tyrius color Purpureus à Plinio diphaba purpura dictus est, quia bis tingebatur, & Pelagio primum vellus mergebatur, quo nomine Purpura intelligitur, alio nomine Pelagia, vt diximus ex eodem Lib. 9.c.37 Plinio, vnde Tyrius Murex est Purpura in Tyro tincta ex Tyrijs & 38. Muricibus, scilicet Purpuris. Sed & Murex Tyrius pro colore ipso acceptum fuisse patet, vt etiam apud Virgil.

Tyrioque ardebat Murice lana

Nomenclator Latinus in verbo, Murex, Muricem à græcis Conchylium dici putat, esseque Purpuræ speciem mensis expetitam, ad id Martiale citat, qui ait:

Sanguine de nostro tintas ingrate lacernas

Induis, & non est hoc satis esca sumus.

Et Isidorus refert; Murex Cochlea est maris, dicta ab acumine & Lib. 12. asperitate, quæ alio nomine Conchylium nominatur, propter quod oris. cap. 6. circumcisa ferro, lacrymas coloris pùrpurei emittat, ex quibus purpura tingitur & inde Ostrum appellatum, quod hæc tintura ex teste humcre elicitor. His igitur iam satis aperte ostensum fuisse arbitramur, Conchylium & Muricem esse Purpuræ synonima, quorum alterum à Conchis nomen, alterum ab aculeis, qui alio nomine Murices dicuntur, sumpsiisse apparet. Purpuræ vero appellatio non solù pro ipso testaceo animali aliquando accipi, sed etiam pro ipsa tintura, & colore vt à Plinio, ibi. Sed quota hac portio est reputatibus Lib. 9.c.38 Purpuræ, Conchyliæ, & Margaritas? & alibi Conchyliæ, & Purpuræ ibid. ras omnis ora atterit, & de Cartagine, Nunc omnis eius nobilitas Conchylio, atque purpura constat. Et alibi, de purpureo colore pingendo verba faciens: Si Purpuram facere malunt, Ceruleum sublinunt, mox purpurissum ex ovo inducunt. Purpurissum vero eodem auctore, sit ex creta argentaria, & purpuræ sanie, quod idem cum Lib. 5.c.19 ostro

Lib. 9.c.; 6 Ostro Vitruuii esse videtur. Et alibi manifestius: *Concharum ad Purpuras, & Conchylia eadē est materia, sed distat temperamento, vt supra retulimus.* Quid autem distet Purpura à Conchylio nunc videndum, nam etiam obiicitur, Plinium distinxisse Purpuram à Conchylio, cum inquit; *Sed quota bæc Portio est reputantibus Purpuras, Conchylia, & marganitas?* & alibi: *Conchylia, & Purpuras omnis ora aterit, & similia aliis locis.* Quibus responsum iam esset ex supra memoratis obseruationibus, sed distinctius, vt omnia sint clara, addimus: *Purpuram his locis à Conchylio esse distinctam, non materia, quæ eadem est, [vt idem Plinius, retulit, cum dixit: Concharum ad Purpuras, & Conchylia eadem est materia.]* Sed colore, nam, vt diximus, Purpura rubescit, Conchylium simile violæ caruleæ: Adde, Purpureo colori admixtum est Buccinum, quo varere asseritur Conchylium; sed aliis locis à Conchylio distinguuntur tanquam species à genere, vt cum idem Plinius dixit: *Lingua Purpura longitudine digitali, qua pascitur perforando reliqua Conchylia; & similibus.* ibi, *Conchylia, genus est, non modo Turbinatorum, sed etiam Concharum omnium.* Hac denique distinctione facilior remanet Purpuræ animalis inuestigatio hucusque à nemine traditi, sed nec forsitan quopiam recentiorum visi, quamvis illius historia satis ab Aristotele, & Plinio descripta inueniatur,

mot. anti- quam hic inserere, & repetere multum, molestumque esset. illas *mal. cap. 4.* tantum notas recitabimus, quas in Testaceo à nobis proposito ob-
or. lib. 5.c. seruare licuit. Testa hæc parua est, regiæ nucis adhuc carnosæ
36. or. in. tegmine obductæ magnitudine, quanquam eiusdem generis inanes testas quadruplò maiores habeamus, atque maximas asperiores, à vulgari Purpura Rondelletii, quæ Neapolitano *Sconcilio* appellatur in his differens, cortice quippe rugosiore, colore fusco, aut cinereo, veluti limo obducto, quandoque flavidante, & fascijs distincta obliquè purpurascensibus, turbinis effigie oblongiore, ac etiam angustiore, eo quod non sit ita ventricosa: aculeis illis, siue muricibus longis caret, verum illorum vice, breuibus & crassioribus horret tuberculis, quo etiam modo, & aliquæ testæ supradictæ Rondelletii Purpuræ non raro inueniuntur, non enim omnes illius generis testæ longioribus clavis horridæ obseruantur, sed breuibus admodum tuberculis, vt in nostra proposita. Differit etiam, quia breui admodum tubulo, vel Canali oris pars superior definiatur, vt in Bucino, sed circa Columellæ partem aspero, & auriculato, vel umbiliato, à tribus vel quatuor prominentijs, quæ antea tubuli, siue canales

les, ex qua lingua ad vsum proferebatur, fuere. Ab his dependente
 tuberosæ, atque parum muricatae striæ, testam per longum exaspera-
 rantes, ut in extremaoris margine, qua testæ os definitur, obser-
 uatur: quibus signis, illius annos numerari posse censemus, quam-
 uis orbes Aristoteles, & illum sequutus Plinius velint esse, cum di-
 xit, patet per orbes, quibus totidem, quot annos habent. Non enim Lib. 5. c. 11
 ex orbibus, quibus clauiculatim contorquentur testæ omnes, anni
 earum obseruari debent; cum, nos totidem orbes, & quandoque Lib. 9. c. 36
 plures habere paruas & exiguae eiusdem generis testas, quos maxi-
 mas habere obseruauerimus in plerisque turbinatorum generibus
 si orbis nomine, quamlibet orbiculatam ventriosam partem claui-
 culatim intortam testarum esse dicas, ut græcè legitur, καὶ καὶ ἔκαστον
 ἀνατολὴν παρεγένεται ἡ ἄνθετη τοῖς διασημάτι, τοῖς εὐ τῷ οσπάκῳ τῆς ἐλίνος. &
 latinè, & in singulos annos manifestum est incrementum distinctio-
 nibus illis in testaceo volutarum. Nos autem, quot habent distin-
 ctiones in volutis, quæ ab antiquioribus oris, sive canalis ad lin-
 guæ vsum extuberantij ortum ducunt per longum volutarum, tot
 annos habere certiorem notam cesse putamus. In Röndelitij Purpu-
 ra clauata, quamlibet muricatam striam anni illius incrementum
 apertius ostendere dicimus. In Buccino vero striato, ac etiam in
 turbine magno eiusdem, quem nos Plinij Buccinum censemus, & in
 vulgari Buccino manifestius appetit augmentum testæ, ob levita-
 tem, & laxiorem, minusque frequentem limbosam extuberantiam;
 quæ dimidium ferè singularum volutarum orbem intercipere ob-
 seruatur: Huius limbosæ maioris extuberantiae causam esse puta-
 mus, quia cum statuto tempore quotannis lateant Conchæ, scopolis
 oris margine adhærente, vis illa testæ incrementum addens, com-
 pressu adhærentiæ saxo, non potest marginem oris testæ producere
 in orbé, quare crassescere circa extremū oris oportet. Manifestum
 esse appetit, quia non paucas habuimus testas villosas omnes, præ-
 ter recentem illam additionem ex anni præteriti distinctione, quæ
 leuis & nitida erat, nouumq; incrementum esse nemo ambigit. Atque
 ex hac obseruatione non tantum annos septem Purpuras viuere.
 sed bis septem, & plures esset cendum. Buccinas verò ob celero-
 rem auctionem, & laxiores distinctiones, pauciores. Nec obstat
 Aristotelis & Plinij auctoritas, cum testæ omnes, vt diximus, par-
 ux, atque maxima totidem habeant clauiculatos orbes, magnitu-
 dine illorum annos ab infantibus differentes, nec habitu, aut pro-
 portione variantes. immo in exiguis quandoque plures orbium an-

fractus obseruauimus, quos deinde atteri ob tenuitatem, alijs supercrescentibus censemus, ob animalis volutationem, & testæ imbecillitatem. At mediocris magnitudinis testæ non minores orbes habent maximis, quod si id esset, longioris turbinis essent maiores paruis, quod contra obseruatur, cum omnes eundem orbium numerum, & suam symmetriam retineant. Causa esse potest, quia testæ, quæ breui, & obtuso turbine sunt, & effigie ventriosæ, oris marginem producendo, non gradatim in clauiculæ speciem, per inferiorem orbem ascendunt, sed per eundem orbem pluries circumaguntur, descendendo potius, quam ascendendo, ut ventriosiores efficiantur, non longiores. Testæ verò, quæ magis oblongo sunt turbine, aliæ bis eundem orbem ambient, aliæ semel tantum, ut sunt Turbines illi tenues digitali crassitie, qui detectos habent orbes, atque in Persico turbine à nobis alias exhibito, & alijs Turbinibus vèrioribus apparet. Qui Conchas Persicas, Cochleam Rondeletij maximam rugosam, Muricem coraoidem eiusdem, & similes obseruarit, illarum oris marginem Imam, circa orbem leuem inueniet, atque orbem magis operientem, ita ut annis, potius obtusiore Turbine annosior testa, minusque conspicuo inueniatur: quare fallax est

Descriptio

orbium numerus ad obseruationem annorum. Sed ad testam redeamus propositam. Intus lœuis est, vitri modo splendens, colore obsoletè purpureo, vel cœruleo, aut flauicante, oblique percurrenti, tibus purpuronigris maculis ex oris margine in interna ventrosa parte. Operculum habet rugosum, tenue fuscum, animalis capiti annexum, & innatum, incrementum accipiens cum ipso animali, nota est, rugosa superficies orbiculatim. Animal continet effigie Cochlea terrestris carne flauicante, densis maculis ex cœruleo purpurantibus depicta alijs exiguis luteis immixtis præsertim in cervice. Corniculis verò à terrestri Cochlea variat: huius quidem in acutum desinunt, & oculi non in summo, ut in terrestribus, sed supra medium corniculorum obseruantur, ubi cornicula veluti resecta per longum tenuiora efficiuntur. Oculos verò aliquando tueri corniculis supra illos incuruatis, ut in pictura notatur, obseruauimus, ac etiam partem illam supra oculum corniculorum contraherere, ut non nisi reliquum appareat in oculos desinens crassius: at quando intueri putatur, recta, tota exerta, & firma cornicula extensaq; habet. Differt etiam, quia linguam ex canali exerit párum extra canalem cochleis deficientem, colore purpureo, & ab illa aquam expuere vidimus, fistula modo contrahentem, branchiarum vicem

explen-

Purpura.

II

expletum. Cum graditur limbo utitur extenso ut Cochlea, corpus
deinde contrahens, iterumq; limbum producens, quem latum ha-
bet. Testam aliquando gaudet circumagere, illam in totum extol-
lens, corpore in basis modum ad hoc elato. Colore tantum obscu-
riore differt ab alijs vulgaribus aculeatis Purpuris Rodeletij, dictis
etiam *Sconcigli spinosi* vulgo, sicut & hæc etiam *Sconcilio* appella-
tur, sed alijs distinctius vulgo, *Carosa* nomine dicitur, quasi spinis
detensa, & carens; quam copiosè Neapoli propè Vrbem in arenos-
sis Piscatores venantur, pulmonum frustulis, iunceis cratibus su-
perimpositis allicientes, ut Aristoteles olfacere censuerit. Hanc lit-
toralem potius in arenosis degentem, quamvis in profundo mari,
diceremus Purpuram purpurocæruleum colorem fundentem: sed
quare non omnes Purpuram fundant eiusdem generis, & eodem
tempore capta inter quamplurimas, quæ toto anno capiuntur, &
semper aliquæ colorem habeant, hucusque ignorare fatemur. Ve-
nales habentur in foro quotidie, cibis quidem expetuntur, elixa ac
tostæ, vel alijs modis. Capiuntur etiam prope Misenum Promonto-
rium in Puteolano mari, loco nunc vulgo, *Mare mortuum* appellato,
vbi maris æstus non recipitur, portusque censetur olim ab
Agrippa, & Augusto constructus. Huius tantum testæ effigies ab
alijs recentioribus vario nomine imposito coaspicitur depicta, à
nemine verò hucusque interno animali obseruato, nedum purpu-
ream saniem fundente. Plinius Puteolanas Purpuras laudat, an de
his intellexerit, aliorum sit iudicium. Capiuntur etiam toto ma-
ritimo tractu australi in sinu Formiano olim dicto, nunc Molæ op-
pidi, vbi primum in mensa tostas esitantes Purpuram fundere, &
digitos, & linteos inficere obseruauimus, Harum vsum sicuti Buc-
cinorum non tantum propter inscitiam, ac magnam impensam &
molestiam neglectum putamus, sed ob maximam Fuci copiam,
quam vulgus, *Roccella*, denominant, quo nunc infectores pul-
cherrimam Purpuram conficiunt, sericia inficientes, varijs colo-
rum gradibus, minore labore, ac impensa, & maximo lucro, tan-
tumq; nobis hodie cum esca sint, non possunt Martialis exproba-
tionem recitare, cum inquit:

Sanguine de nostro tintas ingrate lacernas.

Induis, & non est hoc satis, esca sumus.

Tarenti hucusque accepimus officinarum vestigia Purpurariorum

conspici, atque etiam ex Testarum fragmentis aceruos esse, quæ olim forsan, ut Plinius refert, Augusti tempore fuere Nepotis Cor-

Lib. 9. c. 29 nelij testimonio, ibi: *Me, inquit, iuuene violacea Purpura vigebat;* cuius libra denarijs centum veniebat, nec multo post rubra Tarentina. Rubes color nigricante deterior, à Plinio dicitur, nisi color sit nigricans aspectu sanguinis concreti, qui non sine utriusque Purpura, & Buccini mixtura fieri poterat, qua vel Amethyti, vel Tyrij iuxta

Lib. 9. c. 38 medicaminis quantitatem color siebat, ut idem Plinius retulit.
et inde.


Cochleæ, Ianthine cum Animali exactior icon, & historia. Cap. II.

DEpinximus, atque descripsimus hanc, à nobis alias obiter obseruatam Cochleam, minus recte: nunc autem anno 1609, in oppido dicto, *Torre della Nuniata*, in Vesuvij montis radice, ad maris oram inter Pompeianum, & Stabij ruinas, Maio mense flantibus occidentalibus, maximoq; maris impetu illic extuantibus vndis, abieetas inter alia, Cochleas multas, ex his adhuc viuentes colligi curauimus: Maris aqua repleto quodam vase, conchisque iniectis, ut viuere possent, illarum animal obseruauimus prodiens. Ab omnibus Cochlearum terrestrium, & maritimorum animalibus reliquis, quas hucusque vidimus, huius animal valde differt. Huic penis arrecti facies est, glandem habens, in cuius extremo fabam exprimit, rimam pro ore in medio femininum fere sexum referens, rubescente magis interna parte, cum reliquum animal ex obsoleta cerulea Purpura candicet: circa medium utrimque appendices habet binas, quarum altera exterior maior, carumque acies magis saturo colore purpurascent. Ima pars animalis prope testam rugosa est, & denique limbosa ut in Congeneribus, non tam oblonga, nec acuta, sed rotundior; sub qua copiosam, extuberantem sat, atque veluti cartilagineam spumam vitream fundebant omnes, non secus ac aqua diluto sapone multo, & concusfa, atque paleæ, vel alterius rei exigua fistula intincta, & inflata paulatim euenit, ut puerorum mos est Neapoli, qua spherulæ veluti vitreae inflantur, & denique à fistuladinituntur ex fenestræ. iocum non iniucundum, Copiosum sponte euomunt Cochleæ istæ succum purpureum violaceum, ut seipsas inficiant, & colligentium manus: & paxillo, vel acu sauciata animalis ceruice tres aut quatuor guttae ex testa decidunt, & quicquid tangunt inficiunt, purpuroceruleo colore admundum


Purpura.

13

Purpura nostras violacea



Cochlea Ianthina



dum hilati, ut nihil supra commendari possit; carta vel album aliud lineum infectum, quandoq; variat maculis colore ad rubrum inclinantibus, adeoque infectura hæret, vt vix lotione eximi queat, unde & ipsa testa infecta reperitur, quæ, vt diximus alias, tenuis est, circa imas volutas candicante, tribus tantum volutis constructas, limbo circa vmbelicum elato admodum, quod nec in alijs Cochleis obseruatur, & ab illis differre hac etiam nota conspicitur.

Turbo Exoticus vmbilicatus. Cap. III.

Hunc Romæ apud quendam industrium hominem cum alijs non negligendis testis vidimus, atque raritate allecti iconem delineauimus, notasque addidimus. Differt ab alijs, recentiorum, & à me descriptis quod obtusus sit cacumine, circa medium tenuior, deinde æneæ nolæ effigie in latitudinem se diffundens, atque, quod præcipuum huic est, in medio vmbilicatus. Crassa est testa, grauis, cortex superior rugosus, candicans ad pallidum vergens; maculis obliquis roseo colore variegatur tam circa vmbilicum, quam in reliquis volutis: derasus, vel cortice extimo mundatus, argenteo Margaritarum nitore quodammodo splendet, non admodum, ut in partibus nostratis, nitido. Quinque voluminibus definitur, inter quas veluti limbus apparet, similis quodammodo Turbo hic videtur pyramidali Trocho Aldrouandi, sed illius nulla extat delineatio, nec vmbilicus apparet. triunciali diametro quoquo versu, ut æquilaterum retusis angulis trigonum repræsentare videatur.

Buccinum paruum nostras cum animali. Cap. IV.

Buccinum hoc frequentissimum in nostris scopulis littoralibus Neapolí, & in foro Piscatorio, nam esculentum est, atque cibo gratum, facilisque digestionis. Huius animal magnum est respetu testæ; caro ex flavo albicat, corpus variegatum obscuris mictis purpureis & infernè parum ad cæruleum tendens, limbo vt Cochleæ, graditur lato in extrema posteriore parte bisulco, veluti infectum caudato; Ceruix crassa est, lata, in cuius lateribus cornicula, vt in Purpura diximus in medio velutiresecta, in quibus oculi eodem illo modo insunt, atque natura: linguam habet longam admodum canaliculatam, ex qua aquam haustam expuit, & cum graditur elatam gerit, & incurvam ex aduerso. Convoluitur confestim quo-

quoquo versu, & sup inè cum impetu quodam, inter alia congenera manens in catino reposita, & viuens, ignoramus an præ timore contactus aliorum. Testa leuis est, parua, & obeso admodum superiore orbe, pollicis ad summum magnitudine, flauicans: sed circa volutarum imum castaneis notis distincta, reliquum verò testæ vriegatum, vndosis candicantibus parum lineis. Centri pars celata conspicitur, vt sunt Turbinuli illi striati oblongi, quare obseruandum est, an minimæ alia sint effigie; operculum animal habet, vt congenerum, & mortuo, vel euanido animali aliqua de causa, vacuam testam Cancellus hospitatur, vt etiam in varijs testis obseruatur. Natatilis testa est cum ipso animali, ac etiam cum Cancelllo in aqua imposita, & Cancelli pes maior est sinister. Amplo est ore Testa, atque parum in extremo striato. Si quis Neritem hanc esse dicet, nihil nisi magnitudo refragari posset; responderet magis quam Cochlearum tot species non turbinatæ ab alijs propositæ.

Buccinum Exoticum paruum. Cap. V.

Tuberculis nigro flauentibus, & lineis elatis candida testa exornatur, quæ crassa est, & marmorea effigie, candidaque. Figura parum abest à nostratisbus paruis Buccinis, nec aliud referre ex inani testa extera possumus.





*Lepas exotica variegata, & Lepas noua Myrti
morbus. Cap. VI.*

Magnitudine nostrates grandiores æquat exotica, & elegans Lepas hæc ab alijs non memorata¹, magis caua, rotundior ambitu, nec in angulos desinens, colore ad extremam testæ partem flauente, veluti fasciata, maculis fuscis binis per interstitia exornata, interius candicante Alabastritidis lapidis modo, in vmbilico vero iterum flauo & splendido colore, animalis vmbra ferè describente. Exterius verò obliquè rugosa parum, colore ex pallido candicante, maculis radiatim nigro flauentibus, in superna parte flauescit ex rufso apexque candicat. Dono accepimus à N.V.ac doctissimo Francisco Peregrino Romæ cum alijs etiam rarioribus, Bucino supradicto, & Cochlea marmorea, alijsque. Sed quia huius Lepadis occasione in mentem venit aliud Lepadis genus non descriptum, terrestre, quod morbus est, aut scabies, sive impetigo arborum, & fruticum, idemq; animal est ex morbo Myrti genitum testudinatum, hoc loco iconem, & obseruationem addere non ingratu studiosis fore existimauimus. Romæ anno 1610. in doméstico Viridario domus Ioan. Batistæ Raimundi Viri doctissimi, & Arabicæ linguæ, & aliarum periti supra templum Sancti Andreae delle fratte appellatum, in qua degebatur ex Myrti ramis imis adhuc viuëtes ferè testudinatas Lepades plurimas hærentes collegimus, quarum iconem eiusdem magnitudinis expressimus, effigie Testudinis terrestris, illiusque more tabellis angulosis constructas, colore cinereo ad purpuram inclinante, inferna parte, qua hærebat caudici, cauas, quarum aliquot adhuc seruamus, præter illas dono amicis communicatas, nec aliud ex eis notare potuimus. Impetiginis scabiei, & morbi in Fico, & alijs ortum & causam Theophrastus de causis Plantarum lib. 5. & de plantis lib. 4. tradidit, quem curiosus lector videre poterit.

Turbo terrestris non descriptus. Cap. VII.

Rarior hic, & præter morē à Natura elaboratus, atque à nemine obseruatus; cuius in orbes nō in sinistrā partē cōvoluūtur, vt in omnibus testaceis marinis, ac terrestribus, sed cōtrario modo ex sinistra in dexterā orbes in amplū os iuxta orbis proportionem

desinunt, incisuram in imo habens Buccinorum modo. Octo vel novem orbibus definitur, in imo flauicantibus, reliquis cinereis ex flavo, & in summo magis candicante nouissimo. Stamine coniuncti acu videntur orbes, candidis punctis siue lineis inter orbes micantibus quibus depinguntur; & oculis gratiore redduntur ob punctorum distinctionem. Animal intus Cochlearum modo exiguum, ideo neglectum, continet, quamuis Cochlearum usum praestare posset. Testa leuis est. Oritur non modo in saxis montanis, & rupibus, sed etiam hortorum, ac etiam domorum parietibus aeri expositis.

Turbo alter minor. Cap. VIII.

Est & alter simili modo ex sinistra parte in dexteram convolvitus, non adeo frequens, qui nitida testa est, & adeo splendida, ut arte expolita censeatur, flauicante ex pallido cinereo, quatuor tantum orbibus composita oblongiore, & angustiore ore, quia sublimius voluta eriguntur, & ideo oblongiore testa est proportione, quamvis paucioribus orbibus sit constructa. Iisdem locis oritur eiusdem magnitudinis, ut icon est tam superior, quam Cochlea describenda.

Cochlea terrestris turbinata, & striata. Cap. IX.

QVIA in modum turbinis producit volutas, turbinatam Cochleam appellare libuit; quinque constat anfractibus, & quia distinctius orbes percurrit in longum more Turbinum producitur testa, umbilicum ferè relinquens in centro, & eodem orbium ordine striantur orbes perquam densè, ut elegantissima videatur; os rotundum habet, quemadmodum orbis definit, geritque operculum crassum, & cochleatum, ut in marinis obseruatur. Colore ex pallido flauicant magis, minusve. Terrestres has Cochleas, ut ab alijs diuerfas, & rariore effigie relictis alijs multis hic intrudere ad excitandum studiosorum animos, & addere visum fuit, qui montes tantum habent propinquos, mare verò longo intervallo disiunctum, ut pulchriora quarant.

Cochlea marina exoticamarmorea. Cap. X.


Variat hæc à maritimis nostratisbus crassitie testæ, atque hiatus qui non rotundus, nec à Columella, ut in alijs definitur, sed parte

Purpura.

19

parte media testæ, recta ferè linea, & plana, obliquè veluti recisa testa conspicitur: & in anteriore, & rotunda parte Cochlear parum, infra extremum obseruantur denticuli plures elati, ac etiam ex aduerso in medio linea veluti Concharum cardines, quare operculo quodam crasso forte tegi posse suspicamur, alio quam in nostratis modo. Differt etiam quia vnica tantum voluta sive circuitione definitur, illaq; vix conspicua. Maculis in cute nigris, magnis, inordinatis insignitur, & per obliquum rugis etiam vix apparentibus circa os exasperatur. Huic similem Aldrouandus pro Nerite insuo de Testaceis volumine, tertio, & quarto loco depinxit, colore variantem: quantum verò à Nerite Antiquorum distet iam alias diximus: tam breuem, crassamque testam natare minime posse, nec illum obseruasse censemus. Variant magnitudine, testa crassitie, nam alias vidimus nigras foris, intus candidas tenuioris testæ, quæ clathrata lineis erat per rectum, & obliquum. Alteram candidam intus, crassa testa, & maiore, foris colore cinereo, maculis paruis albis, rugis obliquè profundioribus, ut quodammodo aspera sit tangentia.





Cochlea exotica marmorea*Concha pulvra pulcherrima*

Coneha πολυεπτογίγγαμος. Cap. XI.

Puribus hæc testa notis ab alijs Conchis differt, propriamque habet notam innumeram seriē exiguorum cardinum, recta per obliquum linea, & admodum longa, Testa connexum efficientium; quod haec tenus in alijs minimè obseruauimus. De hac etiam Pli-^{Lib. 9. c. 33} nium sensisse dici posset Concharum varietates enumerantem, cum ad differentiam eārum, quæ breui nodo ligantur, ut sunt vulgares, ait, *toto latere connexis*, quod in hac recte conspicitur, quamvis de Solea etiam intelligatur. Differt ceruice ad latum oblique dependente, quod quamvis alijs testis etiam sit commune, quia huius longius à connexu abest, plana remanente inter ceruicem, & cardines testa veluti recisa, & complanata, lineis multis vndosis sculpta, non parum ab alijs euariat: crassa insuper est respectu molis testa, externe admodum dense striata, ac etiam obliquis densioribus rugis exasperata, ut imbricata etiam dici possit. Interna parte circa os tantum breuibus strijs connectitur dentium vice, reliqua caua, leui. Ex huiusmodi Conchæ in montanis obrutæ, atque temperis diuturnitate corruptæ, terraque illa in saexam naturam versa, lapides illi cordis figuram æmulantes construuntur, cauam conchæ partem replentes, quos vulgo

Bucardia, vocant: quorum plures apud nos varietas iuxta Concharum, & locorum differentias, effigie, materiaq; prouenientes videre licet quamplurimas apud Imperati musum amplissimum.



Concha anomia, vertice rotata.*Altera**Concha fasciata concretionis**gemmea repleta*

Concha rarior Anomia vertice rostrato . I. Cap. XII.

ANOMIAS Conchas illas esse dicimus , quarum altera pars co-hærens aliquo modo ab altera effigie , aut magnitudine , aut utroque modo differat ~~ab aliis~~ , quidem contrarium est verbi ~~modos~~ , quod est , *similis, par, æqualis, scilicet, dissimilis, impar, inæqualis;* Lib. 9. c. 33 ideo inter ceteras notas à Plinio memoratas , quibus Concharum varietates distinguit plurimas , cum inæqualitatis notam non inuenierimus , ANOMIAS Conchas appellare libuit , vel Plinij more illas , *vertice rostrato* , dicere ; quarum etiam differentiæ sunt plures : Nunc de hac in Ciuitate Andriæ reperta verba faciemus , in quo loco si quis curiosior perquirere vellet , illas etiam rariores non paucas inueniet adhuc incognitas , & inuisas . Naturamq; in his efformandis multum lusisse animaduertet . Huius igitur effigies lœuis , depresa , parum oblonga , ab alijs Conchis in hoc præcipue differens , quod altera Conchæ pars oblongior est , collum , ceruicemq; totam , quæ oblongior est , & rotundior , atque acutior , prominentq; supra ceruicem alterius diffundit , vt infra illius collum altera ceruix conne-
ctatur . Concha parua est , candida , tenuis , obliquè parum addita-
mentis rugosa , sed non ob id aspera , sed lœuis . Repletam inueni-
mus candida tophacea concretione , qua totus ille cliuosis locus ,
sive collis est editus , qui non magis terrena concretione tophacea ,
quam variarum Concharum fragmentis , & integris etiam innumeris est compactus : hanc & alias in vallecula illa , sive fossa quadam
parum subitus Ecclesiam D. Mariae de Andria , extra urbem miliario
sita , exceptimus : illic enim ob gratias à Sanctissima Dei Genitrice
acceptas referendas fuimus , sicuti & alij magna cum frequentia vo-
ta soluentes concurrunt quotidie : Ecclesia quidem illa magnis do-
nis , & miraculorum signis ornatur , nec non sumptuosa structura ip-
sa Ecclesia , & Monasterium . Huius similem apud doctissimum Im-
peratum nostrum in suo Musæo , rerum omnium naturæ satis copio-
so thesauro , obseruauimus , quæ margine erat parum vndosa , &
longiore conchæ parte canalem vix cōspicuum in dorso , altero vero
in medio , cōtrario modo extuberante , omnesque peculiari nota sūt
prædictæ , quod ceruice prominente rostrata , pertula orientur , qua tur-
binatorum more aquam haurire & expuere , sylvestris Lepidis , aut
Auris marinæ modo possunt : icon magnitudinem æquat . Huic simi-
lem maiorem multo lapideam depinximus in prima parte , nomine
Conchæ gibbosæ .

Altera

Altera Neptunia maior III. imbricata. Cap. XIII.

DVPLÒ maiorem alteram Neptuni reperimus Albanen. diocesis etiam vndosa margine in tophaceis, siue sabulosis illis concretionibus, in quibus Castelli siue Arcis fossa est, & maxima variarū testarū congeries conspicitur, nec vnā repertis integrā, sed omnes inter se congestas, & implicatas, ut non Natura, sed maris impulsu fractas, & eieatas cum sabulone, & molem illam tophacea construxisse testarū fragmentis repletā sit censemū: quare mare aliquando varijs in regionibus excreuisse & astuasle satis constat, locaq; immutata. Mirum quidem est huiusmodi testas recentes, & viuas hodie non reperiri, quamobrem è longe maris alluione profectas, & adiectas censemū potius, quam Naturam desijisse similes parere. tres pollices longa, duos lata est testa, habetq; in medio veluti alteram concham super elatam imbricis modo, ut in alijs obseruatur, præsertim pectunculis.

Concha Anomia IV. margine vndosa. Cap. XIV.

Differt hæc à superiore congenere colore ad pallidum inclinante, quæ etiam repleta erat concretione candida terrea, & quod margine sit vndosa in spiras contorta, M, litteram repræsentante, dorsumq; habeat elatum, non cauum; altera parte triplici canali distinguitur, sed omnes ceruicem habent perforatam, ex Imperati nostri museo habuimus inter alias.

Concha altera Anomia striata tigloboſ rarior. I.

Cap. XV.

EX eodem genere & hæc videtur, maior Concha, & crassior; cuius obesa valua minor est, atque tribus simul iunctis testis, media magis extuberante constructa videtur, & senis strijs, totidemq; strigibus in singulis lobis, quibus margines denticulatæ sunt, infesta; præterquam pars interiecta interlobos, quæ recta linea marginē definit. Altera parte, qua valua in caput prominet, medium habet lobum depressorem, & oblongiorem, reliquis à latere breuioribus, & elatis, eodemq; modo striatis; qua parte tota concha expansis alis auiculam incuruam repræsentare videtur Conchæ cortex caſtaneo

staneo colore fuit, ut ex fragmēto, quod in ceruice adh̄erebat obseruauimus: lapideam quidem nātūram interior pars, cuius effigiem damus, ad apta erat, colore ob vetustatem flauicante, intus verò, can dicante. Et h̄c ex ditissimo naturæ promptuario Imperati; Harum & paruas Auellanę nucis magnitudine binas habemus, quarū altera paucis, altera verò pluribus, & tenuibus strijs & dissecta, reliquis eādem effigiem retinent, orbiculatæ sunt, & metallica substantia concreta. H̄z omnes Anomiae breui nodo ligantur ob ceruicis angustiam, & forsítā à Plinio sub illa differētia his verbis expressa, *breui Lib. 9. c. 53* *nodo ligatis*, quæ multis Concharum generibus etiam conuenit, compræhensæ, ut suo loco dicemus. Aliam exiguum admodum lapideam idem Imperatus communicauit, quæ veluti gemma nitida est, ceruice cærulea, reliquis obscurioribus, & lateribus flauicans. Differunt ab alijs supradictis, quod ceruix foramine caret, & ideo quamvis Testa sit affinis, animal non idem natura erit, cum hiare oporteat, ut aquam hauiire, & expuere possit, non habens testam in ceruice perforatam, ut quatuor superiores.

Concha fasciata gemmea concretione repleta. Cap. XVI.


MOrosi videntur nobis quidam, qui has & similes concretiones, negant ex testeorum interna caua parte sibi effigiem parare, atque naturā contendunt proprijs initij animantibus, aut vegetantibus lapideas hasce, & consimiles perficere Conchas, & Buccinos, Cochleasque, atque innumera alia. Non negamus quin multa alia sint propria forma sic concreta, sed nullam illa habent cum ceteris rebus naturalibus, quæ vixerint, communitatē, nec aliquid simile recte, aut perfectè referunt, ut sunt quæ locum corruptæ rei replent. Inter alia & h̄c testimonium perhibebit veritatis rarissima Conchæ concretio, quæ non externam, sed internam tantum partem refert, lineis obliquè ductis gradatim, ut in teste interna parte fuerant, & exiguae ceruices, lineamq; cardinum, & marginis. Tota terrea crusta, ac velutisordida colore ocreæ foris est, intus verò propè marginem ab altera ex valuis, quæ forsan perforata, aut fracta fuit, origo stillati, & ingressi humoris appetet, in Chrystallini lapidis speciem, Electri, aut Chrysoliti colore, atque in plures angulosas connexas pyramides concreti; quod si humor ille vegetam habuisset naturam, & externam partem splendidam, & propria effigie insignitam efformasset; non sordidam, ac alienam Conchæ induisset,

duiset, ut manifestè appareat. Nos huiusmodi Concharum internas repletiones ex varijs lapidum, & tophorum generibus concretio-
nis, ac etiam Concharum varijs generibus, Cochlearum, Turbinum,
aliarumque rerum quamplures habemus, ex quibus refellitur isto-
rū opinio, cum maximè quia in multis adhuc Testa viget cum silice
interno, tum etiam quia fragmenta Testarum plerumque reperiuntur,
& in integris interna concretio non omnem vacuum impleuit,
sed inanem medium locum reliquit, se in angulosas gemmas con-
trahens per circumferentiam. Huins etiam copiam fecit ditissimus
ille naturalium rerum promus noster Imperatus, apud quem varias
gemmeas concretiones, & varijs lapidum generis Testas, Cochleas,
Buccinos, Concham margariferam, nautili speciem; pedem, & vn-
gulam, partesque plurium animalium immutatas in lapideam natu-
ram videre poteris.

Concha exotica margine in mucronem emissæ. Cap. XVII.

PEculiare huic rariori, quod præter strias alijs conchis commu-
nes, quæ huic lœues, & latiores duplò ferè sunt strigibus; striæ
ipſæ iterum ab angusto, sed elato limbo intus fistuloso, supra illa-
rum dorsum decurrente in alias tenues nouenas strias efformantur
& loco strigium esse videntur: & Conchæ margo extrema rostrata
efficitur singulis nouenis strijs, quæ interna parte cauæ apparent.
Conchæ ceruix magna est, & crassa, ut clausa testa se tangat cum
alterius valueceruice, mediumque locum occupat Cōchæ, quæ circa
illas in latus ampla fit obliquè, ut diametrum æquet, habeatq; ter-
nas connexiones pyxidatas; quarum minima, quæ proximior ma-
iori limbo, siue rostro est, media maior, tertia longior. In ima om-
Lib. 9. c. 33nium strige rugosa obliquè lineis appetet Concha. Hanc Plinium
nouisse, vel similem censeri potest, & descripsisse sub illa nota, *margine in mucronem emissæ*, quamvis hæc in plures desinat mucrones,
totaq; margo mucronata, quare Concha μαχαιροπεδίτη, appellari
potest. Quatuor vncias diametrum æquat. Concha tota candida, non
nimis crassa est Testa, quam Romæ habuimus, & similem Impera-
tus habet.

Concha exotic a margine in mucronem emissa.



Concha natatilis vnguis minima Persicæ dictæ recentiorum congener, & varietates aliae exoticæ. Cap. XVIII.

Sit ne Concha hæc, vel potius Cochlea natura, siue sua specie ita exigua, vel potius infans, adhuc & tenella, dubitamus: at quod a Persicis differat asserere possumus: Concha est vnguis maioris dorsi magnitudine, vnguis tenuitate, sed fragilior, colore ex pullo candicans, amplio admodum hiatu, ut intra se turbinem colligat: caret illo lunato sinu circa columellæ summum, quo lingua exeri possit, ut in congeneribus. Animal intus habet magnum, sed quia non recens, sed exsiccatum in ipsa Concha videmus, non aliud, quam quod triplici veluti Loliginis ossiculo munitum esse obseruauimus, quorum aliquod operculum, & carni annexum esse non dubitamus. Omnes quidem Testæ, quæ conuoluuntur turbine operculum habere obseruatum est, nec nisi dimoto illo saxis adhærescant, ut iam Aristoteles docuit, præter Aurem marinam illam, quam nos Veneris aurem diximus, cui quamuis sit Conchæ vertex muricatum, siue turbinatum intortus, & cochleatus in Concha, deest tamen operculum, quia non animal habet turbinatorum generi simile, sed Lepadum, quibus natura illud ademit, saxum pro illo, cui adhærente pro tutela possint, tribuendum, & pro tubulo ad linguæ vsum foramina, quæ plura habet. Hanc Imperatus noster nobis dono dedit, nec non & alias congeneres exoticas communicavit, de quibus, quia locus est, agemus, notas tantum varietatis addentes, cum ex illarum pictura satis Testæ differentia colligi possit. Prima, & maior longa est semipedem, & vnciam, lata palmum, colore ex cinereo flauicans, intus pallula nitida, circa columellam externè rugosa aspera, & magis flauicans, turbine infra basim positio, ut vetustate minus semper promineat, & includatur. Natat in aqua ut Congeneres, additoque pondere circa interiora, elata magis pars altera opposita, velificare videtur, ventoque impelli potest. Altera magis rugosa, foris colore ex fulvo ad castaneum vergente, intus candidat, sed zonis distinguitur flavis & cinereis, turbine prominente, ex canali distinguente volutas duas, quibus Testa contorquetur: Natat, ut superior: minor verò duplo, sed crassiore Testa. Lunatae sunt in extremitate columellæ ad linguæ vsum.

*Varietates
duæ aliae.*

Concha exotica vertice muricatum intorto. Cap. XIX.


DEsribuntur à Plinio Concharum genera, in quibus magna lu-^{Ls. 9.c.33}
dantis Naturæ varietas obseruatur, & nos quotidie in admir-
ationem adducimur, varias in manus nostras ex varijs locis ha-
bentes, vt qui omnium Icones, & Descriptiones tradere vellet, maxi-
mum admodum volumen impleret, extra alias ab alijs descriptas.
Hanc mutilam vna tantum valua ima dono accepimus Romę à Fa-
britio Christiano reconditarum rerum viro curioso, ac Argenta-
riæ officinæ domino, inter alia plura, & per pulchra Testacea. Huius
similes nostro mari haud conspicuas se præbent, quare exoticam
Concham sicuti alias esse non dubitamus, ac à Plinio forsitan sub il-
lis verbis compræhensa, *Vertice muricatum intorto vel, ad Bucci-
nam recuruis, ceruice quidem intorquetur, ac si non Concha, sed
Cochlea fieri deberet: nec aliud dicere possumus de ea, nisi quod
crassa sit Testa, & albicante, ac etiam ob vetustatem exesa, in cuius
superficie rubri Corallij corniculatum cespitem, lata, ac tenui radi-
ce, veluti si cera liquefacta rubra superinducta esset Testæ superfi-
ciei, natura excitauit; vel si Corallij materies initio molle quid,
ac muscosum viscidum initium habuisset, vt opinamur.*

Concha utroque latere se colligens exotica. Cap. XX.

PArua est, vnciam longa, angusta Testa, lauis, obliquè circa me-
diū extuberans, ac si anulo cincta esset, rimam pro ore ha-
bet leuem, crassa Testa est, candida, diaphana, splendens, &
cum sit exotica, nihil aliud referre possumus, nisi
varietatem, qua naturæ solertiam admiran-
dam proponimus; animal exiguum,
nec profundè contineri in ip-
sa Testa dijudicamus ex
Imperati mu-
sæo.



30 Fabij Columnæ Purpura.



Fabij Columnæ Lyncei


De Glossopetris Dissertatio.

Qua ostenditur Melitenses Linguas serpentinas, sive Glossopetas dictas, non esse lapideas, ut quidam afferunt, sed osseas & Carchariae, Lamiæ, sive Canicularum, & similius dentes, maris æstu olim terratenui, & lutoſa obrutus. Plurima interim de figuris Lapidum, ossium genitura, Gigantum bustis ac ossibus, maris, & terra mutationibus. Testis saxo inclusis; adducuntur, ac exponuntur. Lapidorum Fungorum natura declaratur, & noua species proponitur.


Nituntur quidam arcanis Naturæ in medium adductis, omnire sponsione seclusa, Linguas serpentinas, aut Glossopetas, [sic illas appellant recētores] quia non solum locis mari propinquis, & insulis, sed etiā longè disiatis copiosè reperiri traduntur, ab ipsa formatrice Natura sic genitas; atque lapideas esse: vel qui dētes esse dicunt, non Carchariae, Lamiæ, Malthæ, aut eiusdem generis Cætaceorum, sed illis similes sponte sic ortos; quin etiam id tantum Naturam produxisse eo loci, quod ratione materiei aptum erat ad formam illam recipiendā affirmant. Hoc argumento in dubium reuocare yidentur, an vñquam locis illis mare fuerit, quod probatissimi antiquiores Philosophi, & Historici affimarunt. Nos quidem dicimus huiusmodi concretionem non esse lapideam, ex ipso aspectu, effigie rei, & tota substantia: ac neminem censemus tam crassa mineralia natum, qui statim primo intuitu non affimarit dentes esse osseos, non lapideos. Sed præter aspectum omnia, quæ ligneam, osseam, & carneam naturam habent, vñtione in carbonem prius abenint, quam in calcem, aut cinerem. Ea vero, quæ tophacea, vel saixa sunt natura, non in carbonem, sed in calcem abire, nisi liquentur propter vitream, aut metallicam mixtionem. Cum igitur dentes hi statim assati transeant in carbonem, & tophus adhærens minimè, clarum erit osseos esse dentes, non lapideos. Addenda est fibrosa intus compaſſio, & porosa, & externus lauor ab interna materia varius, & exacta dentium effigies Lamiarum cum ipsa radice, quæ omnia osseam naturam declarant. Nullus quidem lapis, aut gemma, quod viderimus, laui superficie, & figurata naturaliter reperitur, nisi Chry-

Chryſtallinæ, & ſimiles concretiones, quaꝝ nitri, aut ſalis modo ſint concretæ, quarum effigies angulosæ caſuales ex natura ſucci, non ad idem figurandum tendentes, vt ſunt huiusmodi dentium figuraꝝ, ad quas exacte perficiendas Naturæ conatus obſeruatur. Nec vt de Chryſtallinis & nitroſis quibus euenit angulosa ſuperficieſ in ipta humoris contractione, ita dici potest de his dentibus, atque ab initio eadem magnitudine ſic fuifle procreatoſ, qua effodiuntur: nam dentibus hiſ incrementum ex radice ipta, non coagulatione humoris in corpus ſolidum, ſed per foris emissionem, & vegetam naturam accessiſſe paulatim videretur dicendum, quemadmodum in Animalium dentibus, cornibus, & vnguibus obſeruatur, quaꝝ omnia ab radice, & ex antiquo excremento magnitudinem aſſequuntur longo temporis interuallo intercedente. Secus verò in lapideis, Chryſtallinis, & nitroſis rebus, quibus in ipta concretione perficitur magnitudo, & effigies: & hoc dato, quod dentes hi dicantur ſimiles, [non ex Lamiarum maxillis detritis reliquiaꝝ, vt verè ſunt], quod expreſſe negatur. Nec etiam vñquam obſeruatum eſt, in ſubterranea, & foſilia, oſſea ſpecie indiuiduum aliquod naturam abdidiſſe, quod ſpontē vigeret, niſi ex cadaueribus, vt ſunt dentes hi, oſſa alia, Testacea, & ſimilia, quaꝝ caſu obruta reperiuntur, immemorabili tempore abſcondita, vt quædam cum ambiente terra in lapides ſint immutata. Falsoſum omnino eſt, oſſa in terra eſſe genita, vt Plinius ex Theophrasto refert; non enim Natura quid fruſtra facit, vulgato inter Philosophos Axiomate: Dentes hi fruſtra eſſent, non enim dentium vſum habere poſſunt, nec Teſtarum fragmenta tegeendi, ſicuti nec oſſa vllum animal fulciendi. Dentes ſine maxilla, Testacea ſine animali, oſſa vñica [non niſi omnia coniuncta cum ipſo animali] in proprio elemento Natura nunquam fecit, quomodo in alieno nunc potuiffe, & feciſſe eſt credendum? Oſſa enim ex eodem feminali excremento ortum habere ſimul cum animali, ipta experientia, & Natura docuit, tam in homine, quam in alijs animalibus ſanguine præditis, & ex femine initium habentibus, ac etiam qui buſdam alijs; quomodo in ſubterraneis terrefribus ſemen hoc inueniri aſſeritur? qua experientia? hoc ſi daretur, & hominem ſpontē oriri eſſet obſeruatum, vel alia animalia, vt Bos, Equus, & ſimilia, quod quantum fit dictu abhorrendum, & cōtra naturalem obſeruationē ſatiſ patet: ſicuti, quaꝝ fuerūt à Goropio dicta de oſſibus humana ſpecie enorribus ſub terra inuētiſ, quaꝝ Gigātū fuifle vana hominum ingenia crediſſe aſſerit. Et nos addimus tempore Catharinæ

Melitenses lingue, Chorcharie dentes, et Lamie.



Fungi lapilei Coralloides



Pellegrinæ nobis Auiæ in Abellino agro, cuius domina fuit, reper-tum sepulcrum lateritium, in quo maximi hominis cadauer osseum erat, cuius tibiae quatuor pedum longitudinem æquabant, illa-rumq; vnicam diu seruasse, veluti rem enormem, ac insignem, quod non semel domesticis, atque exteris asseruit, nobis adhuc pue-ris & ignaris literarum. Puteoli quoque non pauca Gigantum ossa conspici asserit Scipio Mazzella, addiditq; Pomponij latri carmina de illis, ac etiam multa de Gigantibus ab antiquis dicta in lib. italica

lib. 7.6 16 lingua de Puteolorum antiquitate; omittimus quæ alii, & Plinius recitant: sed addere voluimus in Sicilia frequentissima ossa Gigantum reperiiri, velut Incolæ insulæ fuerint antiqui viri præsertim Panormi, ut testatur doctissimus, & clarissimus vir D. Marianus Val-guarnera in lib. de orig. & Antiquit. Panormi impresto anno 1614, in eadem Ciuitate Panormi, in quo doctissime agit de illorum æta-te, & statura, sive magnitudine.

Sed quid dicendum de enormissimo Gigante a Io. Boccacio re-lato in cap. 68. Genealogia gentilium Deorum, cuius dentes adhuc in Ecclesia D. Annuntiata Drepani in Sicilia extare ait, & pondere centum vnciarum esse, & quod etiam vix credibile mea sententia, tota Gigantis statura ducentorum cubitorum fuisse.

Quare nos ossa, quæ reperiuntur hominis ossibus, vel alterius animalis paria, non sponte, sed olim obruta, & aliquando eadem cum ipsa terra ambiente postmodum in saxeam eius loci, vel aliam naturam eiusmodi conuersa. Sed ad dentes redeundo, negatur quod intra saxa, vel tophos huiusmodi dentium materiei aptitudo inueniri queat, locis præsertim aridis tophaceis, cum talis materia excrementitia, & nutritiua potius ex aliquo viuenti animali profici-sci debeat, quam intra terram quærenda, ut supra diximus: & sic deficiente materia pro ipso animali, cuius dens, vel os, aut testa sit, nec dentem, nec os, nec testam oriri posse est asserendum. Atta-men permissa spontanea vegetatione, quærendum est adhuc an den tes hi ab initio sponte sic fuerūt geniti, vel intra tophos paulatim accessit magnitudo, ut sit in animalium dentibus, quorum æmulan-tur speciem? Si dicatur sic genitos; instabimus, fuit nè tophus ex quo extracti fuerunt, ante concretus, vel post dætum perfectionem? si tophus sit ante genitus quæritur, erat nè locus in topho dentis illius effigie, ac magnitudine? an dens ipse sibi locum paravit? & quidē si tophus erat ante concretus, & sine cavitate, non poterat vis vege-ta dentis exorientis in topho iam duro, & solido sibi locum per vim fac-

facere: & si vis inesset, scindi oportebat tophū. Et si locus erat prius in topho; respondetur nō ex vegeta natura dentis ipsius in topho effigiem illius excavatam, sed tophum sua natura & cavitate præcedēti formam denti præbuīse. Si vero dicatur paulatim vegetalēse, & excreuisse, negabitur eadem ratione antedicta, scilicet, quia tophi durties non cessisset virtuti vegetabili, vt recipere signum dentis, sed potius scissurā perpeſſa fuisset: aut quod potius tophus vegetasset, vterum dentis effigie gestans, in quo humor osseus per poros penetrans, vteri cavitate repleta, per coagulationem, deinde illius effigiem accepisset; vt in lapidibus ex fluore ortum habentibus obseruatur. Negatur vtrosque vegetalēse, cum omnium dentiū, quos vide-rimus, basis, siue radix fracta reperiatur, non uniformi fractura, sed varia in omnibus. Quod argumentum non parvifaciendum, declarat nō adfuisse vim vegetandi, sicuti in alijs fossilibus figuratis obseruatū est, quæ nunquā in illorū matrice mutilata reperiuntur: & Natura illa formatrix in his defecisse videretur, cū séper in reliquis fossilibus genera, & species uniformes, integras, nec fractas reddere soleat. Nec intra tophos casu aliquo fractas radices, aut dentes fuisse, si dicatur, est credendum; cum potius esset affirmandum casu obrutos fuisse, & in ipsa obrutione tunc ex maxillis animalium fractos decidisse, cū antea integri in ipsis maxillis fuissent geniti, & deinde variè iuxta casum & allisionem mutilati. Negatur etiam intra tophos potuisse hos détes, humoris densatione fieri, tam rationibus antedictis, quam etiā, quia frustra illos natura fecisset tam eleganti specie serratos, nitidos, acutos, Lamiarum dentibus pares, nec ad vsum illorum aptos, cum aliorū sententia propriū censeatur vegetable individuum naturæ; quam, vt verius est, pars & instrumentū animalis individui sensitivi, nedum vegetantis ad vsum voracitatis explendæ genitum. Ad hoc affirmandum adducimus aliam obseruationem, quę à natura inaniter esset elaborata, nisi verè dentes, non lapides, & pars animalis demortui fuissent: variam nempè humoris electiōnem, vt aliam in radice dentis, aliam in dente interno, aliam in superficie dentis fecerit: variam etiam dentium formam, magnitudinem, habitum, & aptitudinem: nam alij dentes ex tophis excepti, quos habemus, magni, & latiores sunt, & tricorni ferē, alij angustiores, minores, & alij minimi angusti, qui pyramidales, alij recti, alij prona parte incurvi, alij supra, alij in sinistram, alij in dexteram inclinati, alij sunt serrati exiguis dentibus, alij magnis serraturis, quod in minoribus triangulis obseruatur, & interioribus, alij nul-

lis, quod in angustis Pyramidalibus, quæ omnia in Lamiarum dentibus ab Auctoribus obseruata reperiuntur, à Piscatoribus, & Naucleris obseruantur. Primi ordinis dentes extra os prominent, & in anteriorem partem inclinati proni conspiciuntur, secundi ordinis recti sunt præsertim ad latera oris, vbi trigoni, & latiores: reliqui ordines in interiore oris partem supini procumbunt. Hæc omnia, qui obseruarit, quod facile pluribus conspectis dentibus erit, vera esse, quæ modo retulimus affirmabit, & postea dentes fuisse cum maxilla genitos, non autem spontè vegetasse intra tophos dicat: quod quisque recentes Lamiæ dentes si eiusdem, aut etiam minoris magnitudinis in maxilla adhuc harentes comparabit ipsos eruendo & frangendo, etiam interna eadem esse substantia, materia, & compactione inueniet, ac si nequeat habere Imperati nostri Musæum adeat, & integras Lamiarum cum dentibus similibus obseruabit. Quod autem olim supra montes omnes mare fuerit, aut saltē ab hominibus tunc viuentibus occupatos non solum sacra Scriptura Christianis id affirmit; sed alijs Aristotele, ceterisque Philosophis, Historicis, alijsq; Scriptoribus idem testantibus sufficeret, itemq; Poëtis, & inter ceteros Ouidio, qui ait.

*Vidi ego quod fuerat quondam solidissima tellus
Esse fretum; vidi factas ex æquore terras,
Et procul à Pelago Conchæ iacuere marinæ
Et vetus inuenta est in montibus anchora summis.*

Lib. 15.
metam.

Certum est Anchoram non potuisse vegetare, nec in montium iugis ad aliquem usum absque mari esse potuisse utilem. Id autem non modo accidisse vniuersalis diluuij tempore, sed alijs seculis, alijs in locis mutatam tellurem, & mare, vicissimque alternasse, non minus ex historia Plinij al. c. 85. ad 92. lib. 2. colligi potest, sed ab alijs. Et nos oculati testes sumus in Castro vulgo dicto, *Torre della Natiata*, propè Stabij ruinas quod olim Pompeianū fuisse putatur, egesto terreno solidissimo, quod taxum appellant, quasi naturale terrenum, altitudine pedum quadraginta propè mare, ad usum molendinorum ibi construendorum, inuentos in imo iuxta aquam ferè, nam arena erat iam reperta, carbones, & lateritia fragmenta, quæ ibi ante congestionem illius terreni deiecta fuisse est credendum, & forsitan illa congestio facta fuit Vesuiani incendijs tempore, quo Plinius obiit, cù antea littus esset, nec dispari modo, mons nouus Puteoli appellatur, mōtis specie egestio, ignis vi ex sulphuraria dicta, loco illo deiecta: quare loca illa mutata non est dubium, possuntq; sub illis multa repe-


reperiri obruta, quæ minime vegetare potuissent, in testimoniu[m] con-
gestionis desuper factæ logo tempore præterito. Objicitur postremò
absurdissimum dictu[m], non esse credendum tot millia dentium, qui ef-
fossi sunt, & effodi possunt varijs in locis, ex demortuis Cetaceis es-
se reliquias, cum plures videantur numero hi, quam qui ab origine
mundi excidi potuissent ex maxillis vniuersorum Cetaceorum: qua-
si facilius natura in siccis montibus singulos dentes procreare po-
tuisset intra saxa, quam in mari proprio elemento, & patre, siue ma-
tre rerum omnium ducentos simul dentes in maxillis innumerabili-
um Cetaceorum congenerum; quæ ab initio mundi usque ad di-
luiij tempus demortua potuissent ab æstu maris, varijs in locis iux-
ta animalium iter, dum viuerent, & post demortua, iuxta etiam
ventorum impulsu[m] elisa, & obtrita, limoque obuoluta cum alijs
maritimis, & terrestribus rebus congeri, & deinde in sicco relicta,
propter recessum aquarum, in lapideam naturam aliqua cum ipso
limo commutari, iuxta loci aptitudinem, & limi, & succi speciem,
alio verò loco etiam num immutata reperiri, eo quod sicciori, &
fabuloso sint obruta, ut in tophaceis locis, & fabulosis, Apulia, Me-
litæ, & Neptuni, locis à nobis obseruatis. Id verum esse patet: nam
in Melitensi topho simul cum dentibus hisce, siue linguis dictis Con-
chæ, & Buccini, & eorum fragmenta testacea, atque etiam illarum
repletiones eiusdem materie tophacea obseruantur, ac illarum
impressions; quare qui hæc omnia obseruarit nostram sententiam
approbare compelletur. Hoc facile quispiam obseruare poterit, si
ex Melita, vel simili loco mediocre tophum habere contenderit, in
quo aliquid ex his adhaerit. Nec, ut quidam recentiores contra
Philosophiz præclarissimos scriptores ac præceptores relicta ve-
ritate, similes dentes, & Concharum varietates sponte intra saxa
oriri amplius dicet, nisi mare eodem loco, eo temporis intervallo
constiterit, quo usque suam naturam præbuerit monti, ut in eo possit
oriri, & incrementum animal cum testa, vel aliud accipere possit,
non alio, quam si in ipso mari esset genitum modo, sicuti & aquati-
ca plantæ locis arte aquosis factis, vel casu solent eo loci etiam, ut
in naturalibus palustribus oriri. Nec ita natum, & enutritum pote-
rit suam superficiem saxo, vel topho imprimere, ut in his, quæ obruta
inueniuntur, sicuti nec imprimit unquam, nec enim potest Concha.
illa in argumentum, & exemplum allata, quæ intra saxorum cavitati-
tes, aliarumque rerum, ipsarumq[ue] testarum [in Spondylorum]
testis obseruauimus externa parte, intra quandam cavitatem vix

foraminulo apparente] sponte in mari, & rupibus maritimis, in quibus alludit vnda oriens, quæ *Cappa longa*, dici asseritur à Goro-pio & alijs, vulgo, *Dattili*, à Piscatoribus, quia Dactylorum effigiem, & Glandium præferunt; ab alijs *Pholas*, ea ratione dicitur, quia occulte in cauernis oritur, & viuit, & tamdiu incrementum capit, quoisque intrá cauernulam illam commode hiare possit, alias periret: nec vñquam in saxo, quo vixit, & perijt, sūz formæ signum, vel striam aliquam, aut lineam reliquissimè est obseruatum, cum nec potuerit, propterea quod testa crescens extrema parte, quia hiat, tenetior est reliqua in omnibus testaceis, nec posset vim saxo, & non sibi ipsi inferre, ut impressio fieret saxo. Nec etiam in dictis cauernulis dimidia testa, vel pars illius, aut fragmentum tantum sponte ortum fuit repertum, nec etiam ipsa testa integra, quæ per compressionem saxi, rimam, aut fracturæ signum passa sit: sicuti in montibus, & alijs locis extra mare reperiuntur fere omnes, ut vix paucæ integræ possint reperiri. Nos quidem non modo naturalium rerum ignarum, sed insanum putamus, qui frustulum, aut dimidiata testam, vel integræ sponte editam eadem magnitudine ab initio, vel alio modo intra saxa sic genitam asseruerit, quæ etiam adeo cohædere saxo reperta sit, ut reperiuntur in faxis, quæ vix eximi possit, & non integræ, & exempta impressionem tui relinquat, tanquam cuneum eiusdem. Non enim natura illas etiam num nostro seculo procreare desisset, si alias procreasset, atque clarum est piscatoribus, nedum naturæ studiofis obseruatoribus, testas in ipso mari, quibus animal perijt, illas ingredi Cancellos pro sua tutela, nec vñquam testæ illæ cum Cancello, aut fine, incrementum accepisse est obseruatum, sed contra, quod ob maris volutationem atteriuntur: atque demum insanissimum, qui lapides Conchæ figuram integræ, vel dimidiata, aut partem aliquam exprimentes illarum, sic Vegetasse affirmauerit, cum omnes illæ figuræ à cadaueribus vegetantium, & obrutarum rerū originē traxisse non dubitemus. Qui verò non modò quæ apud nos, sed quæ apud doctissimum nostrum Imperatum in suo museo seruantur omnis generis testaceorū, aliarum rerum in lapides versa, vel repleta vario genere concretionis lapidea viderit, quin nostram, & antiquorum sententiam probauerit experientia non veremur. Lapides verò, qui sponte oriuntur figurati, nullam habent cum animalibus, vel partibus animalium, communitatem, sed propria figura, nec ita exactè reperiuntur, nec eiusdem generis ita sibi respondent, ut in supradictis rebus ex cadaueribus imaginem recipientibus. Sic etiam qui

Dissertatio.

39

qui fungi marini dicuntur lapidei; quia non ex fungorum cadaue- *Fungi la-*
ribus, sed propria-vegetatione ortum ducunt, strias habent in su- *pidei.*
perna parte, non inferna, vt in terrestribus, & pediculō etiam ex
leuiore parte prædicti reperiuntur, vt doctissimus Clusius depinxit, *Libro 6.*
suntq; vegetabiles eodem modo, quo Corallij species porosæ à doct. *Exot.*
Ferdinando Imperato, *Madreporeæ*, denominatæ.. differunt quia *Lib. 27. c. 3*
non ramosi, & statim in latera se expandunt, Clusius in Nilo oriri,
qui petiolum habent, asseruit. Nos ex porosa Corallij specie, &
hos pyxidatos ortos proponimus, cuius iconem damus. Horum
dentium, aliarumq; rerum intra candidam illam tophaceam Meli-
tensem concretionem repertarum vires, easdem cum ipsa terra Me-
litensi, quæ vulgo ab Empyricis circumfertur, & Sancti Pauli appel-
latur terra, esse asseritur. Canicula dentes alligati repentinus pau-
ores tolli Plinius recitat. Rondeletius refert, dentes ab Aurificibus ar-
gento includi, quos Serpentis dentes vocant: hos è collo puerorum
suspendunt mulieres, quia dentitionem iuuare creduntur, ac etiam
puerorum pauores arcere. Confici etiam dentifricia, nam etiam
ignita duritiem seruant, & puluis asperitate dentes dealbat il-
los detergendo. Bellonius verò, *Lamias enim qui capiunt,*
ex earum dentibus, ac maxillis magnum quantum fa-
cere solent, quos aiunt aduersus vene-
na conferre, quamobrem au-
ro, & argento inclu-
dere vulgus eos
solet.



FINIS



Erras

Errata preuidenda, & sic Corrigenda.

Errata. Corrige.

Pag. 1 Cochylijsq;
4 Ianthynum
Ibid. Buccinus.
15 Conculis.
Ibid. Pallucem.
Ibio. Turbanaū
Ibid. Firmissima.
10 ventroia,
14 construetas,

Conchyliaq;
Ianthinum.
Buccinum.
Conchulis.
Pollucem.
Turbinatum
Firmissimas
ventriosa.
construēta.

Errata. Corrige.

Pag. 14 Umbelicum
25 &c
26 mucronem,
28 videmus,
28 pallula.
32 in subterra-

Vmbilicum;
est
mucronem,
vidimus.
pallida.
inter subter-
ranea.

Reliquia candido Letori remittuntur.



INDEX EORVM

quæ hoc volumine continentur.

A



NOMIAE Concha que,
et quare sic dictæ. de-
scriptio. 23. Varierates.
25. vido, Concha ano-
mix. Aristotelis et Pliniū bi-
stor. de vita testaceo
rum emendata. 9

B

Bocardia quid, 21. et ex quibus. ibid.
Buccini color. 4.
Buccinum exoticum paruum. descrip. 15.
icon. 16.
Buccinum impropriè dictum Murex, et
quare. 7.
Buccinum non habet aculeos. 7.
Buccinum paruum nostras cum anima-
li, descrip. 14. icon. 16

C

Cancelli inane Cocheas inhabitant,
nec illis incrementum addere pos-
sunt. 38.
Cancellus non tantum in Neritis, sed om-
nibus ferè testis inhabitat iuxta ipsius
magitudinem. 15.
Cappa longa, ubi nascitur. 38.
Carose dicuntur Neapol. testacea purpu-
ram fundentia violaceam. 11.
Cochlea Ianthina que, descrip. 22. icon.
13.

Cochlea marina exotica marimorea 18.
icon. 20. varietates. 19. non est Nerite.
ibid.

Cochlea terrestris turbinata, que. 18. icon. 16.
Concha anomia que, rarior vertice rostra-
ta Plin. descrip. 23. icon. 22. Altera im-

bricata, 24. altera margine undosa, ibid.
25.
Concha anonia striata triplorobos rario que,
descript. 24. icon. 22.
Concha ad Buccinum recurva que. 29.
Concha exotica margine in mucronem
emissa que. 26. icon. 27.
Concha exotica vertice muricatum intorto
que 29. icon. 30.
Concha fasciata gemmea concretione re-
pleta que. descrip. 25. icon. 22.
Concha gibba. 23.
Concha natatilis impetratus, et varietates
que, descrip. 28. icon. 30.
Concha animali demortuo non amplius
crescent. 38. et cur. ibid.
Concha varia lapideæ apud nos et Mu-
seum Imperati. 26.
Concha utroque latere se colligens que 29.
icon. 30.
Concha Pliniū toto latere connexa que. 28.
Concha τελυτιθεογλωπος, que, descrip.
21. icon. 20.
Conchylium quid 1. et 3. eius color. 4. no-
men genericum 5. quale Diocordis. 5.
Concretiones concharum effigie quomodo
fiant. 25.
Congerics testaceorum in fossa arcis Ne-
puni. 24.

D

Ecclæsia D. Maria de Andria mira-
colorum monumentis ornata. 23

F

Fungi lapidei quomodo fiant et ubi. 39.
icon. 33.
Fucus quo Purpura color fit, dicitur Roc-
cella Neapol. vulgo. 11.

G

- G** Igantes incole Sicilie. 34
G Gigantea ossa in subterraneis, fuisse hominum cadavera, non vegeta, 34
Glossopetrae dictae, sive linguae Serpentinae aut Melitenses, sunt Lamia & similiū dentes 31. icon. 33

H

- H** Eliotropij color. 4

I

- I** Mperati Museum dittissimum rerum naturalium. 25. 26. 36

L

- L** Apidei Fungi qui, 39. icon. 33
L Lapidē vegetis propriam habent figuram. 38
Laureto tota connexa concha Plinij, que. 21
Lepas exotica variegata que, descript. 17. icon. 16
Lepas Myrti morbus, que, descript. 17. icon. 16
Lepas Testudinis modo tabellata. 33
Lingua Serpentinae sive Glossopetrae non lapides, sed dentes Lamiarum. 31. quare per totum icon. 33
Loca immutata varijs temporibus. 36
Locus apius contrario modo sit, si contrarium superabundet. 37

M

- M** Aliae floris color. 4
M Maris irascentis color. 4
D. Marianus Valguarnera Panorm. vir Doctiss. librum edidit, de Orig. & antiquitate Panormi, in quo, de Gigantum natura scaturit & incolatu. 34
Melitenses linguae, dentes sunt lamiarum & similiū 31. quare non lapides. ibid. icon. 33
Morbus in arboribus scabies & impetigo, & causæ. 17

Murex quid, eius Synonyma, color, genere, ratio, 6. &c. 7

Museum Ferd. Imperati nature Thesaurus 23. 25. 26. 36

Myrti morbus lepas animal testudinatum. 17. icon. 16

N

N Erice Aldrovandi an Antiquorum 19

Nerite natant, ipsa testa velificant. 28

Neptuni Arcis fossa testaceorum fragmentis compacta. 24

O

O Stracea quid. 9
Ostrum unde dictum 2. & quid ibid. 5.

P

P Holas concha que & cur sic dista. 38
P Polypus vescitur carne Conchyliorum. 2

Purpureatissimum purpuram fundens crin animali, que, descript. 1. & inde. icon. 13

Purpurei oculi infra medium corniculorum 10

Purpurei coloris varietates & similitudines 4. &c. 7

Puteolana Purpura. 18

R

R Occella dicitur Fucus ad Purpuram tingendam. 11

T

T Est. Conebarum demoratio animalis suo non crescunt. 38


Turbo exoticus umbilicatus, qui, descript. 14. icon. 16

Turbo terrestris non descriptus 17. Descript. 18. icon 16. Alter minor. 18. icon. 16

Tyrius color qui. 3

V

V Aria effigies dentium Lamiarum 36
Viole color. 4



UB WIEN



+AM431909104

